



4.

1781/6

13

OBSERVATIO
DE
TESTAMENTO ARCANO
AD L. XXI. C. DE TESTAMENTIS.



QVAM VNA CVM SVBIVNCTIS

EX VNIVERSO IVRE POSITIONIBVS
PRAESIDE

PRAENOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO

FRANC. CHRISTOPHORO WIESEN,

V. I. DOCTORE, REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS EPIS-
COPI BAMBERG. ET WIRCEB. FRANCIAE ORIENT. DVCIS CET. CONSILIARIO

AVLICO, NEC NON IN ALMA WIRCEB. VNIVERSITATE INSTITVT. VTI ET

IVRIS FEVDALIS AC CRIMINALIS PROFESSORE

PVBELICO ET ORDINARIO

PRO SOLITIS V. I. HONORIBVS
TVEBITVR

GEORGIUS ADAMVS ROTTMANN,

GELDERSHEIM. AA. LL. ET PHIL. MAG. NEC NON OMNIUM
DIGASTERIORVM ADVOCATVS ORDINARIVS,

AVTHOR ET RESPONDENS.

WIRCEBURGI IN AVDITORIO IVRIDICO


DIE XXII AVGVSTI ANNO MDCCLXXXI

Horis ante & post meridiem consuevis.



Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniuersitatis Typographi.

687
11



TESTAMENTO DE
D. J. X. DE TESTAMENTO

EX VICESSIMO DE POSSESSIONE
P. RESIDE
FRANCISCE CHRISTOPHO TINO XRO W. DOMINO
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN

FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN

FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN

FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN

FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN
FRANCISCE CHRISTOPHO WESSEN



REVERENDISSIMO
AC
CELSISSIMO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO
LUDOVICO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO
BAMBERGENSI
ET
WIRCEBURGENSI,
FRANCIAE ORIENTALIS
DUCI.

CET. CET. CET.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO
HANC OBSERVATIONEM
SVBMISSISSIME DICAT, DEDICAT
ET CONSECRAT

infimus

Georgius Adamus Rottmann,
Geldersheim.



RENEE ANDERSON
GARDNER
DOMINO DOMINO
F. H. M. C. I. C. O.
L. V. N. V. I. C. O.
S. R. P. H. I. N. I. P. I.
P. P. T. O. O.
H. A. M. B. E. R. G. E. N. S. I.
W. I. N. T. E. R. N. A. T. I. O. N. A. L. I. S.
D. V. C. I.
O. M. N. I. A. M. E. N. T. I. A. M. T. E. R. R. A. T. I. O. N. I. S.
D. I. G. N. I. T. A. T. I. O. N. I. S.
S. A. M. I. T. A. T. I. O. N. I. S.
S. E. C. R. E. T. A. T. I. O. N. I. S.

Geogr. Anstalt
Canton





OBSERVATIO
DE
TESTAMENTO ARCANO
AD L. XXI. C. DE TESTAMENTIS.

Rem adgredior, a doctissimis quidem ICtis iam tractatam, propterea tamen non indignam, ut disputationis materiam praeberet. Quum consuetudini obtemperandum sit, ac dissertatione quadam ei, qui ad iuris honores adspirat, in publicum prodeundum; malui et recentiore et nobiliorem Iuris controuersiam, proponere. Nec enim antiqua nimis, nec omnino noua probo: in illis gratia deficit, in his me saltem inuentio deserit. Munere tamen meo, quod mihi sponte imposui, funcrus esse arbitror, si, quod de hac quaestione bene copioseque cogitatum ab aliis scriptumque fuit, enucleatum in quoddam quali compendium redactum dedero, eos imitatus, qui breuibus lineis, quod admirantur, opus effingere student. Nec inuilem sic spero laborem hunc, nec ingratum forte, quibus breuiter placet, officium, cum rationes et fundamenta non ignobilis quaestionis breues hae pagellae exhibeant.

Ceterum venia auctori exoranda est, cui nulla scribendi libido sed leges academiae hoc consilium suggerere.

§. I.

Controversiae a) determinatio, eiusque b) brevis historia.

Quum ergo propositum sit, succincta quadam Commentatione initium *L. 21. C. de Testam.* quod de arcano testamento tractat, illustrare; non abs re erit, certam, qua contendendum sit, metam figere, ne mea suos extra limites aberret elaboratio, nec plura aut maiora desiderentur a lectoribus. Huius igitur duntaxat thematis expectanda a me illustratio: *Licere per scripturam conscientibus testamentum INVOLUTVM testibus septem numero simul offerre signandum et subscribendum; siue valere signationem et subscriptionem testamenti in involuacro sigillo, ne fraudi locus detur, testatoris aut alterius etiam, munito.* Fuit enim, ex quo in dubium vocaretur valor eiusmodi testamenti, dum I. F. LYDOVICI proposita de involuacro dissertatione confecerum ea ratione testamentum prorsus reieceret; cuius tamen sententia duplici postea responso, *Illustr. Ordinum Istorum Goettingensium et Lipsiensium*, nec non doctissima G. L. BOEHMERI dissertatione vapulavit.

§. II.

Testamenta arcana aut cera clausa, aut ligata, aut involuta sunt, a quibus conuoluta secerni debent.

Insidiae, quas ab Herediperis sibi metuunt testatores, *arcani* siue *occuli* testamenti causae sunt a). Eo vero intelligitur testamentum, cuius paginae *clausae* i. e. vel *cera consignatae* b),
lino

lino constrictae c) aut ita *INVOLVTAE d)* sunt, ut nemini de dispositione testatoris quidpiam innotescat. Ad hanc ultimam, ex triplici illa arcani testamenti specie, quod inuolutum adpellatur, meam pertinere commentationem ex supra dictis constat. Ne tamen *conuolutum* cum *inuoluto* confundas, caue, quod in *SALMASIO e)* reprehenditur, cui *inuoluere* idem est, ac volumen eo usque complicare, ut omnis scriptura eius inclusa intra volumen lateat, ceteram partem vero, quae vacua est, et nihil habet scriptum, non conuolutam relinquere, sed apertam, testibus nimirum subscribendam. Verum nisi ad *ligata et signata* testamenta hanc referat expositionem *SALMASIUS*, fundamento ipsius sententia laborat. Sine ullo enim testimonio sumit, conuoluere et inuoluere veteribus idem fuisse; quum tamen *VLPIANO* nemo clarior tabularum inuolutarum morem et significatum exponat *f)*.

- a) Constitut. Theodos., quam exhibet *BOEHMER* cit. diff. §. 18. b) §. 3. I. de pupill. subst. L. 1. §. 11. D. de b. p. secund. tab. c) Cit. L. 1. D. et L. 3. §. 19. de Scto Silaniano. d) L. 22. §. ult. D. qui test. fac. poss. e) De subscript. et signat. test. c. 29. f) Cit. L. 22.

§. III.

Testamentorum inuoluendorum a) ratio. b) effectus, vi cuius inuolucrum aliquando pars testamenti fit.

Diuersitate *ligati, consignati, inuoluti et conuoluti* testamenti sic notata, tabulis inuolendi consuetudo exponenda venit. Possunt autem tabulae eadem aut heterogenea materia inuolui. Romanis enim nouiori iure liberum erat, quamcunque materiae formam ad conscribendas ultimas voluntates adhibere. Nil igitur intererat, siue tabulae fuissent lignae, siue cuius.

cuiuscunque alterius materiae; siue chartae siue membranae fuerint, vel si corio alicuius animalis vltima voluntas inscriberetur, tabulae recte dicebantur a). Sed et *eburneis pugillaribus*, quorum mentionem iniicit THEOPHILVS b), imo *linteo* ad conficienda monumenta vsi sunt c). Idem ergo in testamentis licuisse, licet *signata* tantum in *inuolucro linteo* testamenta in LL. memorentur, inde conficitur. Quodsi iam testator velit *arcanam* manere suam dispositionem, ei penitus perfectae integumentum addit cum scriptura ita *coniunctum*, ut sine corruptione separari, aut alia scriptura inseri nequeat. Haec inuolucris notio est. Quo ipso differt ab *operculo* conseruationis causa duntaxat testamento circumdato, hoc nunquam, bene vero illud partem testamenti efficere potest, si expresse ad ea, quae solennitatis exterioris sunt, explicanda destinetur: ita VLPIANVS partem testamenti habet linteum, quo tabulae inuolutae sunt, eoque signato *totum* testamentum signarum censet. Sic quoque THEODOSIVS in sua Constitutione *inuolucrum reliquam* testamenti *partem* dicit, in qua et testator et testes subscribunt et signant. Sicut enim in *ligato* aut *signato* testamento suprema charta *reliqua pars* testamenti fuerat; ita ex natura testamenti *arcani inuolucrum* ea adpellatione indigitatur.

- a) L. 1. pr. D. de b. p. secund. tab. b) In Paraphr. I. L. II. tit. 10. §. 12.
 c) PLIN. in histor. natur. L. 13. c. 11. *postea* inquit, *publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et priuata LINTEIS confici coepta aut ceru.*

§. IV.

Testamenta ita inuoluta recte a testibus in inuolucro I) signantur. Quod, praemissa a) antiqua signandi ratione; b) ex SCro Neron. c) secundum mores recentiores;

Haec

Haec de tabularum inuolucrarum more; ad signationem et subscriptionem in inuolucro fieri solitam nunc progrediendum. De *signatione* in inuolucro imprimis. Iuuabit autem rem istam ex antiquitatibus repetere. In testamento per *aes* et *libram* nulla adhibebantur testium signa, eo enim testamento haec duo agebantur, *familiae mancipatio* et *nuncupatio* testamenti, a) ac, licet testator tabulas tenens sollemni *formula* testimonium praesentium implorauerit; b) suum tamen testamentum per id testibus subscribendum aut signandum nequam obtulit, quos vltimae voluntatis rite *nuncupatae* testimonium tantum perhibere voluit. Ad remouendas tamen lites postmodum inuectum, vt cum testibus libripens et antestatus signa sua tabulis adponerent, quod ex sollemni testamenti adperiendi ritu, ad quem, vt signa sua recognoscerent, signatores aduocabantur, c) adparet. Ex ea testium signatione nascebatur praesumptio, reliquas sollemnitates omnes fuisse adhibitas. Vnde Praetor scripto heredi b. p. dedit, si septem testium signis testamentum firmatum esset. Ratio autem signa adponendi pro diuersitate temporum diuersa erat. Antiquissimis temporibus, in exteriori tabularum, qua cera obductae fuerunt, sibi impositarum, lino ter aut quater colligatarum, non vero in *ima parte* signare in more habuerant Romani. Dein ad coercendas fallacias aduersus falsarios repertum, ne tabulae nisi pertusae ac ter lino per foramina, quae in supremo margine facta fuerant, traiecto obsignarentur. Qui ramen signandi modus ab usu denuo recessit, cum tabularum nomine chartae, membranaeue postea venirent, in quibus eadem fraudes ac in tabulis ligneis cera obductis metuendae non erant, neque etiam ipsa materiae tenuitas eandem signandi rationem patitur.

a) Ulp. in Frag. tit. 20. §. 9. b) L. c. itaque vos quiritis testimonium perhibetis. c) L. 4. et 7. D. testam. quomad. aperians.

§. V.

Ostenditur a) ex principiis generalibus. b) Lege et usu Romano.

His praemissis facili negotio perspicitur signationem in inuolucro factam legitimam et sufficientem fuisse. Ideo enim testium signa antiquitus requirebantur, ut omnia sollennia rite fuisse obseruata constaret, licet postea etiam in iis praesidium contra falsarios positum esse crederetur, atque ideo cerae extremis praesertim lini partibus impositae signa imprimerentur. Abolitis tamen, aut rarioribus tabulis ceratis cautela ista necessaria amplius non erat. Hinc sola prior ratio adhuc attendenda restat. Iam vero quo loco signa adiungenda sint, legibus expressè definitum non est; ea igitur parte testamenti obsignatio facienda erit, vnde ad *totum testamentum* pertinet. At, si plures sint scripturae paginae, ea, quae in *ultima* sit, pro *sufficiente* naturaliter habetur, eo quod ad totum testamentum referatur, atque *una* tantum, licet plures sint tabulae, requiratur signatio. Pariter *legitima* erit signatio in inuolucro, quo *integrum* testamentum continetur, quoque obsignato *totum* signatum adparet. Testator enim inuolucrum obsignationi destinans illud *partem* testamenti efficit a). Hoc facto iure suo, vititur: quin igitur *legitima* sit ea obsignandi ratio, dubitari minime potest. Verum quod iuris principiis generalibus confecimus argumentum, expressae legis auctoritate insuper munitur. *Signatas enim tabulas accipi oportet, etsi lineo, quo tabulae inuolutae sunt, signa impressa fuerint b).* Hic eodem, quo antea ego, VLP^IIANVS ratiocinii genere vititur, ex inuolucro signatio tabulas signatas censet.

a) Supra §. 3. b) L. 22. §. 7. D. qui test. fac. poss.

§. VI.

Testamenta inuoluta etiam in inuolucro rite subscribuntur; quod docetur a) ex subscriptionis forma, quae pariter testatoris arbitrio relicta est.

Obfignationem in inuolucro legitimam et sufficientem esse patet; de subscriptione eodem modo videndum. Signa testium ex iure praetorio, subscriptionis vero necessitas ex Imperatorum Constitutionibus deriuatur a), quas demum THEODOSIVS comprobauit b). Iuxta huius Imperatoris normam, quoduis testamentum septem testibus signandum et subscribendum est. *Formam* autem subscriptionis quod attinet, eam subscriptionem testamento conuenire Ictus ait c): vt quisque *proprio* chirographo adnotet, *quis et cuius testamentum signauerit*. Hanc tamen *specialem* subscriptionem necessariam non esse, sed *generalem* sufficere, arbitror. Quae enim negotio solum *conueniunt*, necessariae sollennitatis dici nequeunt. Dein, qua testamenti parte testium subscriptio adicienda sit, testatori relicta est. Quod Constitutione Theodosiana d) introductum: *finem* testamenti *subscriptions* et *signacula* testium esse debere; id non ad *arcanum* testamentum transferendum est. Alioquin ista Constitutio a Contradictione vindicari non poterit. Quum principio arcani testamenti naturam exponat, cui tamen repugnat, finem eius absolutum subscriptionem et signacula testium efficere. Potius hanc sanctionem de iis sollennitatibus, quae testamento confecto demum addi debent, non incongrue interpretari licet. Similiter lex Iustiniana, e) qua, subscriptionem testium, et omnem, quae expectatur, obseruationem *scripturam* testatoris *sequi* praecipit, ac validum tunc esse testamentum, si *testium* literae *testatoris*

scripturae *coadumentur*; de testamento *non arcano* duntaxat intelligenda erit. Proprie vero ibidem testamenti et codicilli *holographi* sollemnitates exponit Imperator, in quo subscriptio testatoris non requiritur. Sensus ergo eius legis non est: *scripturam*, i. e. *subscriptionem* testatoris, sed integrum eius scriptum testamentum, reliquas sollemnitates sequi debere. IUSTINIANVS ergo per id solum sollemnitatem subscriptionis testatoris remouere, ceteras vero relinquere voluit.

a) §. 2. 3. I. de testam. ordin. b) L. 21. C. de testam. c) L. 10. D. qui test. fac. poss. d) L. 21. C. de testam. e) L. 28. C. eod.

§. VII.

b) *Ex indole* c) *et sine subscriptionis.*

Ita igitur cum forma subscribendarum tabularum conuenit subscriptio in inuolucro. Quemadmodum autem proprius veritatis character, et vniuersalissimum criterium est *completus* eorum, de quibus quaeritur consensus, nec enim, quae vera sunt, vllō modo inter se pugnare possunt; hinc illud adhuc agendum, vt subscriptionem in inuolucro *indoli* subscribendorum testamentorum non repugnare doceam. Indoles subscriptionis eo absoluitur, vt constet, *quis et cuius* testamentum signauerit. *Finis* vero, vt, de testamenti coram legitimo testium numero ordinatione, ac de certissima testatoris voluntate dubitari nequeat. Vtrumque ex subscriptione in inuolucro, quod totum testamentum repraesentat, intelligitur. Ea enim ad *totum* testamentum pertinet, vnde integrum subscriptum adparet. Eodem hic argumento vti licet, quo antea de subscriptione duce VLPIANO vsus sum. Sicut enim linteo signato totum testamentum signatum est, ita et eo subscripto (nam
et

et linteo scribere consueuerant Rom.) a) *integrum* testamentum subscriptum esse eo minus quis dubitauerit; quo certius est, subscriptionem testium testimonium fuisse *peractae* obsignationis. Quodsi enim singulos testes *proprio* chirographo adnotare conuenit, *quis et cuius testamentum signauerit*; b) adscriptionem *post* signationem fieri necessum erat; verum obsignatio in inuolucro recte fiebat; c) itaque, quae illam sequitur, *adscriptionem*, ad euitandam saltem signaculorum et nominum confusionem, eodem loco fieri debere in aperto est. Nec quisquam vrgeat: Romanos in *exteriori* membranae parte scribere, aut aliquid instrumentum in inuolucro subscribere, non fuisse solitos. Siquidem de opistographo testamento, i. e. cuius tergo inscriptum est, aliquando quaesitum esse, illudque validum ab *VLPIANO* d) pronunciatum constat. Dein subscriptionem aliorum instrumentorum in inuolucro nulla eiusmodi ratio, quae de testamentis Subintrat, suadere poterat.

- a) Supra §. 3. b) L. 30. D. qui testam. fac. poss. c) Supra §. 5. d) L. 4. D. de b. p. fecund. tab.

§. VIII.

Demum d) Lege Theodosiana a IUSTINIANO adoptata.

Verum enimvero ne quid ad completum, quem veri notam esse dixi, consensum desidereretur, expressum legum ad sensum prioribus adiungere necesse erit. Adoptauit IUSTINIANVS a) legem Theodosianam, qua Imperator iste, *antiquam* arcani testamenti methodum denuo reduxit. Adparet enim ex eius constitutione, *sinistram* tum temporis opinionem: *acsi* *testibus* *ultimae* *voluntatis* *capita* *cognita* *esse* *deberent*, inualuisse b). Quae res fecit, ut dum sua quisque nonnunquam Iudicia pu-



blicare formidaret, dum testibus testamenti secreta non audebat committere, ne suis facultatibus inhiantes offendar; interest mori maluerit, quam sua mentis arcana periculose exprimere. Hinc in fauorem testamentariae libertatis, qua nihil fere carius habuere Romani, THEODOSIVS sanxit licere ita arcanum conficere testamentum, ut testibus nihil eorum, quae in eo scripta sunt, innotescat, dummodo testator, *suum* esse, quod proferebat, testamentum, *palam*, id quod ad ultimae voluntatis certitudinem requiritur, professus fuerit. Ut igitur testes intelligant, quae ultima voluntate comprehenduntur, vi constitutionis Theodosianae tam parum necesse est, ac olim ex rescripto D. MARCI, qui de teste, qui latinum non nouerat, rescripsit: *si vel sensu perecipiat, quis, cui rei adhibe-rius sit, sufficere c)*. Exin consequitur, si testatori *clausam inuolutamque* licuit exhibere scripturam *signandam et subscribendam*, eandem in *inuolucro* signari et subscribi debuisse. At ne quis ex quibusdam legibus pugnam aliquam cum nostro systemate sibi exsculpere posse arbitretur; supra iam, ad ostendendam completam *legum ac principiorum* harmoniam, ex parte praeoccupatum dedi *d)*, nullam a IUSTINIANO *e)* adoptatae huius sanctionis Theodosianae aut correctionem aut alienam a rei natura interpretationem subiectam esse, binas enim istas leges de diuersa prorsus a testamento *arcano* specie loquuntur, adeoque perperam nostrae quaestioni adplicarentur.

a) L. 21. C. de testam. b) Princip. illus constit. c) L. 20. §. 9. D. qui testam. fac. poss. d) Supra §. 7. e) L. 28. et 29. C. de testam.

§. IX.

Hanc sanctionem adoptarunt a) Leges Germanicae, et b) in specie Franconicae.

Completum adesse quod ad hanc quaestionem principiorum ac legum Rom. consensum in apico est; quin igitur vera sit, dubitari minime potest. Ast de moribus hodiernis adhuc quaeritur? Romanis enim *natura rei* necessitatem inuolucris imposuisse videtur, siquidem tabulae *cerae* et *lignee* semper inuolucro opus habebant, eas autem hodie ignoremus, nullius ergo, quae Romanis necessaria erant, apud nos usus esse videntur. Verum eandem apud nos *arcani* testamenti conficiendi consuetudinem obrinere argumento est lex Maximiliana, quae in verbis fere repetit constitutionem Theodosianam *a)*. Quodsi ergo testamentum *inuolutum* (*ein eingewickeltes Testament*) sicut lex Maximil. exprimit, testibus signandum et subscribendum offerri potest, id necessario in *inuolucro* signandum et subscribendum erit. Dein inuolucrum Romanis semper necessarium fuisse a *LYDOVICI*, cui haec sententia fedet, perperam sumitur. Nam *lino* circumligato, cuius extremis partibus frustum cerae, ad imprimenda signacula, imponebant, tabularum secreta hereditati inhiantibus subtrahere, Romanis aequae saltem solenne erat *b)*, ac *luteo* easdem inuoluere. Praeterea rarior iam erat *THEODOSII* tempore tabularum ceratarum usus, nostris vero prorsus nullus. Nisi ergo quis maioribus vltimam hominis sani voluntatem solennitatibus, contra ipsam legis Maximilianae mentem, adstringere velit; omnino dicendum, suo adhuc in vigore esse constitutionem Theodosianam. Quod adeo verum est, ut et lege Franconica, eandem obrinere consuetudinem dubio careat.



reat. Nam vi ordinationis prouincialis c) licet *clausum* aut *consignatum* testamentum, aut in *persona* iudici offerre, aut per *alios* offerri facere, ea duntaxat ordinationis sollemnitate obseruata, vt vel coram iudice, aut iis, quibus offerendam tradit vltimam voluntatem, *palam* profiteatur: *clausam* et *consignatam* eam scripturam suam comprehendere testamentum. Ob eam igitur conuenientiam et identitatem rationis, quae inter testamentum *clausum iudici* oblatum, et testibus ad signationem et subscriptionem propositum intercedit; cumque sub generica testamenti *clausi* adpellatione, testamentum *inuolutum* contineatur; ordinationi prouinciali omnino conforme erit, testamentum in inuolucro subscribere et signare. Id quod menti legislatoris adeo conuenit d), vt, quia propter inanes obseruationes iuris R. omittas vltimae voluntates saepe concidunt; *triplicem* a iure communi diuersam testandi *formam* introduxerit, quod indignum sit ob miseris sollemnitates irrita fieri iudicia mortuorum e). Multo magis ergo intentioni legislatoris respondebit, dispositio testamenti arcani iuxta principia iuris Rom. hactenus proposita, quae non vno Ord. Prouinc. loco confirmantur f).

- a) Ord. Notar. de A. 1512. tit. 2. von Testamenten §. 7. b) Supr §. 3.
 c) P. III. tit. 40. §. 10. et 7. d) O. P. P. III. tit. 37. — unsere Untertanen und Angehörige aber mehrtheils solcher Substantialstücke und Hielichkeiten unwissend, und wir jedoch der sterbenden letzten Willen zu gebührender Execution zu befördern gemeinet. e) L. 15. C. de testam. f) Tit. 37. c. 1. et Tit. 122. §. 3.

§. X.

Quandonam a) validum sit testamentum 1) holographum, 2) non holographum? b) an remedio ex L. ult. C. de edict. D. Hadr. toll. ex eo testamento locus sit?

Validum igitur, ut vela contraham, erit testamentum *holographum inuolucro coopertum*, atque ita a testatore *clausum*, ut nulla facile sigilli adulterati suspicio locum inuenire possit, septem testibus in integumento signatum et subscriptum, dummodo, quod ad sollemnitatem ordinationis requiritur, *suum illud esse testamentum*, coram testibus dixerit. *Subscriptionem enim testatoris* coram testibus tale testamentum non exigit a). *Non holographum* vero tunc demum validum erit, si ab ipso testatore coram septem testibus subscriptum fuerit b). Ceterum, cum subscriptio et subsignatio in inuolucro *iure legeque* fieri possit, tale testamentum nullo *vicio visibili* laborat. Quam ob rem heres institutus etiam remedio ex L. ult. C. de edict. D. Hadr. toll. *honorum*, quae tempore mortis testatoris fuerunt, *possessionem* impetrare potest. Nam licet contro- uersa adhuc quaestio ista sit; cum tamen ei possessio adquiratur, qui *potiora* ex legitimis modis iura ostendit c); heredis vero, in testamento in inuolucro subscripto, institui potiora ex hacenus dictis iura sint; *immissionem* ergo in bona recte impetrabit.

a) L. 28. §. 1. C. de testam.
cto D, Hadr. toll.

b) L. 21, et 28, eod;

c) L. ult. C. de edi-



7
P. 193.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



X2338862


VD 18

ULB Halle
007 771 789

3







1781/7

SPECIMEN
RISPRUDENTIAE
ANTEJUSTINIANAE
 SISTENS
ELII MARCIANI
 JURISCONSULTI
 LIBRUM SINGULAREM
HYPOTHECARIAM
FORMULAM.

QUOD
 T. O. M. FAVENTE
 INCLYTO SENATU JURIDICO ANNUENTE
 PRAESIDE

OBILICLARISSIMO ATQUECONSULTISSIMO DOMINO
 NC. CHRISTOPHORO WIESEN,
 SS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERG. ET WIRCEB.
 ORIENT. DUCIS CET. CET. CONSILIARIO AULICO, INSTITUTIONUM
 IMPERIALIUM ET JURIS FEUDALIS NEC NON CR. MINALIS
 PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO
 DISSERTATIONIS LOCO
 EDIDIT

IS RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS
 RGIUS PHILIPPUS SIXTUS,
 WIRCEBURGENSIS AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR,
 COMPILATOR ET RESPONDENS
 UMMI IN UTROQUE JURE HONORES EI
 CONFERRENTUR
 WIRCEBURGI IN AUDITORIO JURIDICO
 M XX. JULII ANNI MDCCLXXXL
Horis ante & post meridiem consuets.

apud Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.

